



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Speculum Approbandorum Bipartitum**

**Unczovsky, Marianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1693**

Quæstio XXVII. De Forma Sacrament: Pœnit:

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37308**

U. Sit pro nunc satis, plura proponam  
dum discursum formavero de Absolu-  
tione à reservatis.

S. Prout placet.

## QUÆSTIO XXVII.

De Forma Sacramenti Pœ-  
nitentiæ.

Vicar. Quid dices pœnitenti Sacram-  
tribunal accessuro?

S. *Ly Dominus sit in corde tuo & in labijs  
tuis ut dignè confitearis omnia peccata tua  
In Nomine Patris &c.*

V. Quid post enarrata peccata?

S. Illud quod est expressum in Ritib:  
Rom. nempe: *Misereatur tui omnipotens  
DEUS &c. Indulgentiam Absolut. & Re-  
missionem &c. Dominus noster &c.*

V. Fortè reconciliationibus seu brevi-  
oribus Confessionibus illorum, qui sæ-  
pè confitentur compendiosior posset  
adhiberi forma.

S. Posset v. g. Hæc: *Authoritate D. N.  
JESU Christi ego absolvo te à peccatis tuis*



in Nomine Patris &c. vel: si teneris aliquo vinculo Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti à quo possum te absolvere Ego te absolvo, Item Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis in Nomine Patris &c. Sa. ver. Absolutio.

V. Quæro autem an omnia quæ protulisti sint Essentialia sive pertinentia ad Essentialiam absolutionis?

S. Minimè, cum pleraq; omitti possint.

V. Quid omittes ex forma primo & secundo loco posita?

S. Omittam ly vinculo Suspensionis si pœnitens fuerit laicus.

V. Si pœnitens esset ligatus vinculo Excommunicationis, suppono quòd Confessarius obligetur præmittere seu præponere absolutionem à tali Censura, absolutioni à peccatis.

S. Tenetur, siquidem excommunicatus nullum Sacramentum licitè suscipere potest.

V. Etiamnè reliquæ Censuræ suspensionis & Interdicti tolli debent ante absolutionem à peccatis? S. Or-



S. Ordinariè quidem & rectius tollitur antè, nihilominus peccatum non esset illas tollere primò post absolutionem à peccatis.

V. Occurrit dubium: effertur pœnitens obligatus repetere Confessionem, casu quo non fuisset ablata priùs Censura Excommunicationis ante absolutionem à peccatis.

S. (*Quidquid dicant aliqui*) sentio cum Navarro Suariorum & alijs, quòd si pœnitens bonâ fide petat & accipiat absolutionem à peccatis, non petitâ priùs absolutione ab Excommunicatione ob ignorantiam vel oblivionem, non sit obligatus reconferri seu peccata jam confessa repetere, & Ratio est quia Excommunicatio non officit validitati absolutionis à peccatis, neq; Ecclesia pia ac provida Mater intendit suo Anathemate irrita reddere Sacramenta ab aliquo Excommunicato bonâ fide suscepta.

V. Ergo si pœnitenti occurrerit primò post



post absolutionem à peccatis, Censura Excommunicationis &c. poterit illum Confessarius absolvere à tali Censura non repetendo formam in qua exprimitur absolutio à peccatis.

S. Poterit, & similiter discurrendum est casu quo ipse Confessarius non præmississet ex oblivione absolutionem à Censuris, absolutioni à peccatis.

V. Si dispensandum esset super Irregularitate quali utereris formulâ?

S. Post datam absolutionem à Censuris tali: *Eâdem Authoritate dispenso tecum super Irregularitate quam ob talem (N.) Causam incurristi, & habilem te reddo ad Sacros Ordines suscipiendos, vel (si jam sit in Ordinibus constitutus) restituo te Executioni Ordinum ac Officiorum tuorum.*

V. Quid sentis de ultima precatioe post formam Sacramenti, quæ est *Passio Domini &c.*

S. Sentio illud, quod reperio apud diversos Theologos, videlicet precatio-

R nem.



nem illam non facile esse omittendam nam multi dicunt quod vñ illius pronuntiata, Confessari<sup>o</sup> excusetur à magnis pœnitentijs imponendis.

*V.* Jam quæro, quæ nam sint illa verba quæ ad Essentiam absolutionis seu formæ hujus Sacramenti pertinent?

*S.* Supponendo tanquam certum, quod ad validitatem hujus Sacramenti necessariò requiratur ut verba absolutionis pronuncientur voce Sacerdotis, neq; ad hoc satis sit si scriptò tradantur, cujus quidem rei nulla melior ratio afferri potest, quàm ipsa CHRISTI Domini Institutio, quæ nobis per Ecclesiæ praxim innotescit: Item quod hæc verborum prolatio debeat fieri à Sacerdote, ipso pœnitente præsentem, quandoquidem absolutio Sacramentalis absenti conferri non potest, prout speciali suo Decreto decrevit *Clemens VIII.* quod refertur à *Laym. Tract. 6. c. 3. de Sacram. Penit. his suppositis*: cum probabiliori & cõmuniori Theologorum

Sen-



Sententia dico ad essentiam pertinere  
hæc sola verba : *Ego te absolvo vel absol-  
vo te.*

V. Non omnia ?

S. Dura est Sententia quæ requirit om-  
nia, & ideò non placet.

V. Ex quo autem fundamento stas pro  
verbis tam paucis.

S. Fundamentum desumo ex doctrina  
*Sac. Conc. Trid.* exprimentis hæc tan-  
tum verba : *ego te absolvo*, ( eadem ha-  
bentur in Catechismo Pij V. ) tum quia  
hæc verba sufficienter significant &  
potestatem Personæ absolventis, & Per-  
sonam quæ absolvitur, & deniq; prin-  
cipalem effectum hujus Sacramenti  
instituti per modum judicij.

V. Scis utiq; principalem effectum hu-  
jus Sacramenti instituti per modum ju-  
dicij esse remissionem peccatorum,  
quomodo autem significabitur iste ef-  
fectus, si non fuerit additum *ly à pec-  
catis tuis?*

S. Sufficienter significabitur præsup-

R 2

po-



positâ seu præmissâ peccatorum Confessione: licet enim verba illa *absolvo te* sint indifferentia ad significandam absolutionem à Censuris vel peccatis, nihilominus tollitur hæc indifferentia per ipsam Confessionem peccatorum præmissam, vel tollitur etiam indifferentia per intentionem Sacerdotis restringentis illud verbum æquivocum ad significandam duntaxat absolutionem à peccatis.

*V.* Ex hac responsione sequitur quòd Confessarius ly *absolvo te* posset Pœnitentem absolvere non tantum à peccatis, sed simul etiam à Censuris Ecclesiasticis, dummodò per suam intentionem determinaret illa verba ad utramque significationem.

*S.* Lego apud quosdam posse utiq; valide, sed non licitè;

*V.* Posset valide, fortè ideò, quia sufficit si intelligatur aut significetur implicite materia Sacramenti Pœnitentiæ, ergo poterit quoq; Confessarius ab-



absolvere Pœnitentem per solum *ly absolvo* quia subintelligetur & significabitur implicite in dicto verbo Persona absolvenda.

S. Nequaquam : expresse seu explicitè poni debet *ly Te*, estò non ponatur *ly à peccatis tuis*, & ratio est, quia reus debet exprimi tanquam Persona distincta à Judice absolvente, cùm nemo possit esse in propria Causa Judex, sicuti etiam in Baptismo debet exprimi suscipiens, ut ostendatur distinctio inter generantem spiritualiter, qui est baptisans, & inter genitum spiritualiter, qui est baptisatus, & sicuti in Baptismo non est necessarium exprimere materiam remotam dicendo : *Baptiso te aqua*, ità neq; in Sacramento Pœnitentiæ erit necessarium exprimere materiam remotam *circa quam*, dicendo *à peccatis tuis* : Præterea CHRISTUS noluit ut ipsa forma verbalis esset explicitè significativa Personæ cui hoc Sacramentum confertur, quæ CHRISTI



voluntas colligitur tum ex formis verbalibus aliorum Sacramentorum, tum ex *Concilijs*, quæ in forma absolutionis expressè ac explicitè designant Personam Pœnitentis per Pronomen *Te*, aut aliam vocem huic Pronomini æquivalentem (ut *Majestatem* vel *Dominationem tuam* &c.)

V. Si discurrendo de Forma Sacramenti Pœnitentiæ respiciamus Formam Baptismi, igitur quemadmodum in Forma Baptismi præter ly *Baptizo Te*, est simpliciter necessaria invocatio SS. Triadis, hæc eadem erit sic necessaria in Absolutione Sacramentali.

S. Minimè: quando enim CHRISTUS instituit Sacramentum Pœnitentiæ *Joan. 20.* dicens: *quorum remiseritis* &c. non addidit invocationem SS. Trinitatis, prout adjecit in forma Baptismi: unde benè notat *Scotus* esse diversitatem inter formam Baptismi, Eucharistiæ & illam Pœnitentiæ: nam in prioribus formis CHRISTUS limitavit verba, non au-



autem in forma Pœnitentiæ, ac proinde sufficit ut in ista utamur verbis sufficienter indicantibus absolutionem à peccatis, sive per Verbum *absolvo* sive per aliud quod idem significat, designando explicitè Personam Pœnitentis, neq; invalidam reddet formam Sacramenti Pœnitentis: omissio invocationis Sanctiss. Trinitatis, quia (ut supra dictum) in ejusdè institutione à CHRISTO expressa non est.

QUÆSTIO XXVIII.

De Absolutione Sacramentali extrâ periculum vel Articulum mortis.

Vicar. **E**stnè aliquando absolutio Pœnitenti deneganda aut saltèm differenda?

Sa. Est: & quidem deneganda, si v. g. statum aut occasionē proximam peccati relinquere, aut injunctam discretam Pœnitentiam exequi, vel inimicis nolit reconciliari &c. differenda verò (*conformiter ad alibi dicta*) si Pœ-

R 4 ni-

Handwritten text on the flyleaf, including the word "Handwritten" and other illegible characters.